

1097 neque se, neque suorum quempiam, quantum imperio coer-  
ceri possent, hostile quicquam in res suas molituros: si & ur-  
bes Asiae, quæcunque postea reciperentur, præter Hierosolyma,  
Constantinopolitano imperio habendas permetterent.  
*Copia Christianæ in Asiam du-*  
*cuntur.*

*Niceam ob-*  
*fident.*

Atque cum his omnes copiæ continuo in Asiam traductæ, so-  
lus Boemundus apud Alexium cum paucis ad commeatus ex-  
pediendos subsedit: reliqui interim ductores ad Nicomediam  
progressi, copias undique contractas in unum jungunt. Pla-  
cuit hic primo Niceam oppugnare; motis itaque signis per sal-  
tus, & devia prius eo ventum est, cœptaque urbs obsideri,  
quam Boemundus commeatibus sero datis in castra venisset.  
Post ejus accessum Niceam Bithiniæ metropolim (Antigo-  
niam urbem ipsam ab initio appellatam accepimus, ab Antigo-  
no Philippi filio, qui eam condidit, inde a Lysimachi con-  
juge Niceam dictam) tripartito adoriuntur. Erat id oppi-  
dum satis natura loci, sed magis opere munitum: quippe  
quod sublimibus crassisque cinctum erat mœnibus, atque ipsis  
quadrata forma deductis quindecim stadiorum ambitu: quar-  
tam ferme partem Ascanius lacus ad meridiem alluit. Confe-  
stum igitur machinæ aliquot & castella lignea civitatis muros  
æquantia cœpta sunt erigi: aries ad hæc vineæque mœnibus  
admotæ: cuniculis quoque irruptio tentata. Urbs præter op-  
pidanorum multitudinem, valido inita erat præsidio: ac quo-  
tidie in eorum locum, qui aut cæsi aut vulnerati essent, re-  
centiora aquis subvehebantur auxilia. Apparebat itaque, aper-  
to lacu, Niceam capi non posse: quapropter visum est ad in-  
hibendos hostium cursus ad Alexium mittere, ut comparata  
navigiorum multitudine, lacum hostibus obcluderet. Præsti-  
tit id Alexius, sed non tam cito. Nam dum ille naves com-  
pararet, interea ad sexaginta Turcorum millia, Sarracenis  
auxiliaribus mixtis, in proximis Niceæ montibus confedere.  
Missis lacu, qui nondum clausus erat, nunciis, Nicenis si-  
gnificant, ut certo die eruptionem in hostes ea parte face-  
rent, qua ipsi castra erant ex improviso aggressuri. In Po-  
diensem Antistitem, qui ad Orientem metabatur, impetus  
est factus: quem non modo fortiter Gallus sustinuit, sed fa-  
cta etiam ex castris eruptione, hostis cum ingenti cæde ad

mon-